



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Honorati Fabri, Societatis Jesu Theologi,
Apologeticus Doctrinæ Moralis Eiusdem Societatis**

Fabri, Honoré

Coloniæ Agrippinæ, MDCLXXII

IX. De eadem ignorantia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94565)

pius ab auctore Catholico editus docet, ex ignorantia invincibili peccari & ex crassa quidem & affectata peccatur; hinc Deum oramus, ut ignorantias nostras non meminerit; at omnes libri pii, vel ascetici, ut dogma fidei omnino supponunt, ignorantiam invincibilem peccato eximere, nempe ad merendum & demerendum, liberam actionem, vel omissionem esse oportet; libertas autem cognitionem supponit, equidem libri ascetici hoc argumentum non agitant, neque id illorum institutum postulat; hoc dumtaxat Theologorum est, tum Scholasticorum, tum moralium, tum etiam sacri textus expositorum; hi pro dignitate rem discutiunt, statuuntque omnes omnino, neminem ex Catholicis excipio, ignorantiam invincibilem quantumvis ab originali noxa profectam peccato eximere, secus verò crassam & affectatam, quia hæc voluntaria censetur; vel enim qui sic ignorat, non vult scire, vel saltem cum posset, negligit inquirere. Hi porro consulendi sunt, ad morales controversias decidendas, non verò Ascetici, exemplo sanctissimæ Virginis Theresiæ, quæ in hoc negotio, doctissimos quosque adhibere solebat; neque in iis pietas desideratur, licet libri pii à Theologis & moralibus vulgò distinguantur: nempe illi controversias fidei, vel morum non discutiunt, sed discussas supponunt à Theologis, eumque potissimum finem sibi proponunt, ut homines ad Dei cultum, divinum amorem, virtutum praxim, & totius vitæ reformationem promoveant. Sed bonus sum, qui hæc hæreo, ubi nullus Catholicus adversatur.

Frustra autem sibi persuadent Adversarii, Aristotelem ab illorum partibus stare, voluntque, duplex genus ignorantia ab Aristotele cognitum fuisse, facti scilicet & juris; ignorantia facti involuntaria est, ac proinde à peccato liberat; sic actio Meropis, cum non hostem, ut proposuerat, sed filium pro hoste occidit, involuntaria fuit, ideoque excusanda; contra verò, inquit, non excusat peccatorem ignorantia juris, sed poena dignum reddit: de hac distinctione sub his terminis nihil profus apud Aristotelem; nec minus una, quam alia coram Deo, modò invincibilis, in foro conscientia excusat: equidem in foro externo, ut vocant, ignorantia facti faciliùs excusatur, quam ignorantia juris; nempe ille, qui legem violat, supponitur, saltem ut plurimum, ac præsumitur legis obligationem minimè ignorasse; & hoc valet apud Iudices, de rebus judicantes ex præsumptionibus; apud Deum non ita, qui corda & renes scrutatur: si Iudices scirent; legem ab eo violatam, qui latam fuisse, nulla sua culpa ignoraret, impunitum illum dimittere tenerentur? & verò eadem ratio utrimque militat; nempe ideo ignorantia facti excusatur, quia involuntaria est; sed ignorantia juris, invincibilis scilicet, non minus involuntaria est, ut patet; igitur vel utraque, vel neutra excusat: præterea certum est, Aristoteli originalem noxam compertam non fuisse; igitur nescivit ignorantiam legis naturalis à peccato derivatam fuisse; igitur hoc discrimen leges positivas inter & naturalem non agnovit; igitur vel utramque ignorantiam noxæ ac poenæ eximere censuit, vel neutram: sed cur in re adeò clara & Catholica, diutius hærerem? pro qua auctores non cito, alioquin omnes Catholici adducendi essent.

CAPUT IX.

De eadem Ignorantia.

AD forum experientia Adversarii provocant, qua scilicet, inquit, omnino constat, quodam sceleratissimos homines de Deo, de peccato, de poenis nunquam cogitare; in omni voluntatum genere tuti & quieti versantur, nec unquam illos conscientia interpellat, nec ullo peccati, aut mali sensu ducuntur, quis porro istos insones & à culpa immunes, quamvis ignorantes & minimè cogitantes sint, existimet.

REFELLITUR.

EXperientia forum ultro admitto, & advoco illorum quempiam, quos exquisita & consummata nequitia esse volunt, eumque interrogo; supponitur enim, illum aliquando Christianis moribus instructum fuisse, nec omnino barbarum, qui de Deo virtute, de religione, nihil unquam inaudierit; quæ igitur ex illo, utrum saltem dubitet, ubi hoc, illud flagitium admittit, ne aliquid mali inficit? respondebit fortè femininè cogitare, nec ullius conscientia stimulis perstringi; insto, an vel minimum quid sentiat; negare non audeat, aliquid quid confusè apparere, quod fortè non pungit cor, sed trillum pulsatur, & leviter saltem vellit; vocem quendam interioriorem esse, quæ monet, actionem illam esse illicitam; vocem inquam valde remissam, at quam tamen minùs attendit, attendet etiam, si vellet; sic dum quis meditabundus ambulat, non attendit ad illa objecta, quæ in oculos incurrunt, quæ confusè tantum videt, distinctè tamen videt, si vellet: illa conscientia vox est, quam sensum, voluptatum, & passionum tumultuantium vis penitus primis, aliquid tamen, licet exiguum, refert, ad instar fermenti, aut seminis majoris advertentia; nempe illius ope, homo, si velit, vocem illam, dictam illud conscientia facile audiet: hæc germana est experientia, quam nemo profectò neget; sed distinctior ille, se nihil sentire, nihil audire, nihil advertere; id sanè, si de clara & indistincta advertentia sermo sit, omnino concesserim; secus verò de confusa, indistincta, & fere impercepta, cuius tamen ope, distinctam & perfectam obtinere possit, si velit: si quis confusam illam se habere obtinere noster, detrectabo fidem, nisi barbarus sit, auctorem si quis tamen aliquid ageret, quod tamen malum esse invincibiliter ignoraret, reverà non peccaret, nec ullus auctor Catholicus refragatur; at pauci sunt qui ignorantia invincibili teneantur, præsertim quando agitur de flagitiis majoribus & enormibus, in iis scilicet regionibus, quæ legum & societatis publicæ usu fruuntur.

Martinus Lutherus, vir ille tot flagitiis & illegiis infamis exemplo esse poterit, qui cum à quempiam consuleretur, pro sedandis conscientia humilis, quos hic pariebatur, ingenuè respondit, scilicet eundem huiusmodi stimulis agitarum fuisse, longè tamen eo tempore mitius ac remissius, quam quàm ab iis omnino liber non esset: aliquid igitur stimuli conscientia sceleratissimi homines patiuntur, alioquin Lutherus longè nequiores essent; & licet stimuli illos non sentiant, non carent tamen cognitione

